

et non faciens. In secunda parte ostendatur, quinam sint, qui solum acetum infundunt, nimirum, 1. Qui ob delicta non satis probata, vel cognita puniunt. 2. Qui in ira castigant. 3. Qui ipsum reum ira astuantem corripunt. 4. Qui nimis frequenter, et quasi assidue poenas expetunt. 5. Qui nec temporis, nec loci rationem habent. 6. Qui asperitate verborum aut verberum excedunt. 7. Qui statim desperant de correctione. Excitentur proin auditores, ut Samaritanum imitantes, oleum aceto miscere studeant.

Ex occasione verborum: « Juste, quod justum est, persequeris; » (DEUT. XVI. 20) explicari possunt tres conditiones ad justum judicem et judicium requisitæ. Quarum prima indicatur per verba: *Quod justum est*, scilicet ut sciat *substantiam* officii sui in eo consistere, ut jus et factum bene intelligat, neque personas unquam respiciat, nisi ubi ratio et æquitas id persuadet. 2. Per verbum *Juste*, scilicet ut sciat *modum* et *finem* sui officii, qui est, solam Dei gloriam, Reipublicæ bonum, pacem et concordiam, civiumque utilitatem quaerere; ex qua intentione duæ aliæ virtutes magni momenti oriuntur, nempe, vigilantia, et officium suum bene administrandi. 3. Per verbum, *Persequeris*, innuitur, scilicet constantia et perseverantia in exequendo *op*, quod justum est, ita ut, ubi justitia exigit, dura, (id est, inflexibilis) sicut infernus, sit ejus æmulatio legis. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Ludov. de Ponte, t. II, de *Perf. tr. 4*, c. II.

Ex occasione verborum a Jethro olim ad Moysen dictorum: « Provide tibi viros de omni plebe, et de cuncto Israel, potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore; » (EXOD. XVIII. 21) explicari possunt aliter proprietates Judicium, et dici, quod 1. debeant esse *Selecti* ex plebe. 2. *Potentes*, id est, magna auctoritate præditi. 3. *Timentes Deum*, non homines. 4. *Veritatis*, id est, recti judicii, *avantes*. 5. *Odio avaritiam præsequentes*, ne patientur se muneribus corrumpi. 6. *Omni tempore paratos ad judicandum*, neque litem injuste protrahentes; quæ fusius digesta videri possunt apud Lud. de Ponte t. III, de *Perf. tr. 4*, c. x.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Judicii censuram ira enervat, mollior affectus præcipitat. S. BEAN. l. III, de *Consid.*

Bias damnaturus quempiam ad mortem, lacrymatus est ob miseriam hominis, et deplorandam fortunam. Verum cum dixisset quidam: Quid est, quod defleas, cum in tanto sit arbitrio, condemnare, aut liberare reum? Respondit ille: Necessarium quidem esse, nature condolare, a lege autem et justitiæ regula discedere, magis perniciosum esse. STOB. f. 44.

Phocion ab Antipatro rogatus, ut aliquid injusti faceret: Non potes, inquit, simul me amico, et adulate uti; amicus enim usque eo obsecundat amico, quoque Justitia, et æquitas patitur. PLUTARCH. in *Apoph.*

M. Cato dicebat, Magistratum nec pro justis orandum (cum oporteat ultro favere bonis) neque pro injustis exorandum esse, quia pro his orare, humanitatis exorari; autem, defectentis a Justitia est. Idem.

Herodotus vulturem pro Justitiæ symbolo assignat, cum nihil, quod vivit, attingat, nec ullum animatum occidat, ut aquilæ et accipitres faciunt. PIER. l. XVII, p. 69.

Statuæ Thebanorum Magistratum sine manibus, et oculis clausis fingebantur, ut significarent, Judicem nec manus ad accipienda munera, nec oculos apertos ad respiciendas personas habere debere. LANGIUS, in *Polyant. f. 634*.

Aristides interrogatus, quid esset Justitia? respondit: Nihil alienum desiderare. TEXTOR. in *Theat.*, l. IV, c. 43.

Mycerinus, Cleopis filius, Ægypti Rex, adeo Justitiæ erat amans, ut, si quis conque reretur de re quampiam injuste ablata, sua pecunia jacturam resarciret. Idem.

Glaucus Lacedæmonius tam celebris fuit Justitiæ zelator, ut ad eum videndum multi alienigenæ Spartam venerint. Idem.

UTILITAS. — Camillus, cum ad ipsum Phaliscos obidentem Ludimagister pueros civium, sub titulo ambulationis extra urbem ductos tradere vellet, non solum sprevit perfidiam, sed Magistrum revinctis post terga manibus, pueris dedit verberandum, et ad parentes cum plagis reducendum. Ob quod factum Phaliscæ sponte deditioem fecerunt. Idem.

Leo, Larycatidis filius, cuidam pereon-

tanti, in qua urbe tuto vivere posset? respondit: In ea, in qua incole neque nimis multum, nec nimis parum possident, et ubi Justitia viget. PLUTARCH. in *Lucan.*

DIGNITAS. — Agesilaus rogatus, utra virtus esset præstantior, fortitudo, an Justitia? graviter respondit, fortitudinis nullum esse usum, nisi Justitia adsit. Quod si omnes essent justii, nihil opus foret fortitudine, Ibid.

Trajanus Imperator Justitiam et æquitatem primaria duo Principum ornamenta dicebat esse. Hinc ipse in omnium conspectu Præfecto Urbis porrigens gladium dixit: Cape ferrum, et vel pro me, si bene Justitiam administravero, vel contra me, si male id fecero, atere. NICEPH. CALLIST. l. III *Hist. Eccl. c. XXIII.*

JUSTITIA VINDICATIVA. — Moysen et Aaron virgas gestarum indices regiminis, sed aridas, quæ ex terra nihil humoris atrahere poterant; ut insinuarent, Judices, nihil ex bonis litigantium ad se trahere debere. FABER, in *Auct. Th. 5. in Festo S. Barth.*

Salomon porticum, in quo tribunal erat, cedrinis lignis a pavimento usque ad summitatem texit, ut indicaret, Judices, perinde ut cedros, rectos et incorruptos esse debere. REG. VII.

Athenienses ante Judicium concessum porcellum mactare jubebant, coque sedilia judicantium aspergi, ut scirent, innocentium sanguine se aspersum iri, si innocentem funderent. SIGOX. apud *Cant. l. V.*

Cum Ptolomæus alicis Judens, puerum, nomina damnandorum ad mortem; legentem audiret, Berenice uxor e manibus chartam puero eripuit, dicens, non similem esse lesereram et corporum causam. Quo audito Ptolomæus multum delectatus, nunquam postea inter lusum de capitalibus causis decrevit. ÆLIAN. l. XIV. *Var. Hist. c. XLV.*

Deus ipse dixit: Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverit. An non est, ita ut sciam; ut doceamur, inquit Philo, ne quis homo de aësentibus, et futuris, et incertis patet se facere posse conjecturam, sed prius maxime prospicere debeat? PAULO, de *confusione linguarum.*

## AXIOMATA.

Fiat justitia, pereat mundus.  
Justitia sola Respublica sustentatur.  
Summum jus, summa injuria.

## AUCTORES.

Ludov. de Ponte, t. 4, de *Perf. tr. 4*, cap. 3. et 6. Item, cap. 11.  
Joannes Buseus, in *Vidario virtutum. V. Justitia.*  
Jacobus Alvarez, t. 2, de *Perf.*  
Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. 6. c. 7.

## LABOR.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est, juxta Ciceronem, functio quedam animi vel corporis. gravioris operis vel muneris. Vel brevius: Est seria occupatio hominis. CICERO, l. II, *Tusc.*

DIVISIO. — Dividitur in laborem *mentalem* et *corporalem*. Ille est, quo animus, seu mens, potissimum exercetur, uti est studium, meditatio, etc. Iste est, quo corporeæ vires precipue occupantur, uti sunt artificum et operariorum ac servorum occupationes.

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in Paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. GEN. II.

Vade, piger, ad formicam, et considera viam ejus, et discite sapientiam; que cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. PROV. VI, 6.

Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ECCI. VII, 16.  
Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem sterit in aestate, filius confusionis. PROV. X, 5.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua; quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit. ECCI. XI, 6.

Rogamus vos, Fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manus vestras, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. I THESS. IV, 10.

NECESSITAS.—Cum essemus apud vos, denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. II THESS. III, 10.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. JOB. V, 7.

Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinæ et tribulus germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane. GEN. V, 17.

Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute invenies? ECCL. XXV, 3.

UTILITAS.—Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium (id est, laborantium) divitias parat. PROV. X, 4.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est. PROV. XII, 11.

Manus fortium dominabitur; quæ autem remissa est, tributis serviet. IB. 24.

Vult, et non vult piger; anima autem operantum impinguabitur. PROV. XIII, 4.

Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit. PS. CXXVII, 10.

Fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. I COR. XV, 58.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem. ECCL. II, 35.

DIGNITAS.—Bonorum laborum gloriosus est fructus. SAP. III, 13.

Justum deduxit Dominus per vias rectas; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. SAP. X, 10.

JUCUNDITAS.—Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire. ECCL. I, 11.

Vita sibi sufficienter operarii condoleo-rabitur, et in ea inveniet thesaurum. ECCL. XL, 18.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Serius animus et prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habens non tam quod agit, quam quod agendo intendit, omnis consummationis attendit finem. S. BERN. de Vita solit.

Ad laborem cum veneris, sic temperabis opus agendum, ut sollicitudo operis intentionem animi tui ab iis, quæ Dei sunt, non avertat. Idem, de Doctrin.

Labor noster inanis, nisi manus Domini adjuvet. S. HIER. sup. Gentes.

In omnibus laboribus fructus semper pensandus est. S. GREG. XIII Moral.

NECESSITAS.—Qui in labore hominum non sunt, in labore profecto Dæmonum erunt. Idem, sup. Cant.

Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit. Ideo otiosus ab ordine suo, et creatione deficit. S. CHRYS. in 2 ad Thess. 3.

Qui nobis vires idoneas ad laborandum suppediavit, in die Judicii parem quoque in laborando industriam repositet. S. BASIL. in Reg. 27.

Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum, quia inde mens ad summa volat, unde caro in infimis diutius laborat. S. GREG. I. VII Mor. c. VI.

Laborandum est ut victus paretur. S. AUG. de Op. monach.

Sine labore transire non possumus æstum hujus sæculi. S. GREGOR. in Registr.

Homo ad laborem natus est; si refugit laborem, non facit id ad quod natus est. S. BERNARD. in Decl.

Aliquod opus facito ut te Diabolus inveniat occupatum; non enim ab illo facile capitur qui bono vacat exercitio. S. HIER. in serm.

UTILITAS.—Agnosceant homines, quod qui in laboribus hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnosceant quam placeat Superis civibus labor, ejus spiritualis intentio est. S. BERN. s. 3, de Nativ.

Labor carnalis, spiritus contritionis conjunctus, acceptissimum Deo sacrificium, dignumque sanctitatis habitaculum, puris, mundisque recessibus exhibebit. CASS. I. X. Instit. c. II.

Sancti viri, quot labores nunc veritatis

commendantes exhibent, tot jam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenent. S. GREG. in Moral.

Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. S. HIER. in Epist.

Labor malos mores corrigit. S. CHRYSOST. super Ps. Quis est homo. 1.

Laborantibus finis dulcis est. Idem, super Matth. hom. 48.

## EXEMPLA.

QUALITAS.—Christus in laboribus fuit a juventute sua. Quod idem etiam confirmat S. Basilus dicens: Christus prima sua etate parentum suorum imperio subjectus fuit, et labores corporis æquo cum ipsis animo, illis obediens, toleravit. Verisimile enim est, cum homines illi essent, et justitiæ, et pietatis cultores, tenues tamen, neque necessariis ad vivendum copiis satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fructus est fatus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, et hæc ratione quotidianum victum queritare. Porro Jesus cum in his, ut divine litteræ prædicant, esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam. S. BASIL. Const. mor. cap. v.

De B. Virgine Christus S. Brigittæ dixit: Mater omne tempus suum tribus distinxit temporibus; unum, quo laudavit Deum ore suo; aliud, quo manibus ei serviebat; tertium, quo corporis infirmitati compatiens, necessaria tribuit ei juxta modum. In Revel. S. Brigittæ. c. XXIII.

S. Paulus ipsemet de se fatetur, se argentum, aut aurum nullius concepiisse, sed ad ea, quæ sibi opus erant, manus suas ministravisse. ACT. XX, 33.

S. Humbertus, licet jam fere decrepitis, ad ultimum usque vitæ suæ triduum, laboribus manualibus se exercebat, ut S. Bernardus testatur. S. BERN. de ejus obitu.

S. Franciscus Seraphicus, licet infirmæ admodum valetudinis, numquam sibi passus est a Fratribus ministrari, sed ipse suis manibus pavimentum purgavit, et laceras vestes refecit. LANCIZ. opus. XV, n. 54.

S. Ulmarus Abbas, monasterium ingressus in se recepit curam boves pasceendi, et ligna ad Fratrum officinas portandi, et nocturnis

horis, cum se fratres somno dedissent, omnino caleos purgandi. SCRITUS, in Junio.

Paphnutius Presbyter nonagenarius vas aquæ, quam per totam hebdomadam erat sumpturus, suis cervicibus per quinque millia passuum portabat ad cellam, et nunquam passus est sibi a junioribus deferri. CASSIAN. Collat. III, c. I.

S. Pachomius suis manibus sarebat olea et irrigabat, atque circa prandii tempus mensam parabat, et Fratribus solita officia exhibebat. ROSWEM, I. I, f. 121.

S. Bernardus in virtute Spiritus simul et totus quodammodo laborabat exterius, et totus interius vacabat, in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris tempore et intus orabat, se meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. (Vita, l. I, c. VII.) Et, ut alio in loco dicitur, ita sese fecerat omnium servum, ac si toti genitus foret orbi; ita tamen liber ab omnibus conscientie suæ curam gerens, tanquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui. LIB. III, c. VII.

Borotheus Monachus quotidie lapides ad mare colligebat, annuatimque fabricabat hospitium pro ægrotis. Cumque aliquis illi diceret: Cur ita conficis corpus tuum? Respondit: Quia illud me occidit. SOZOMEN. I. VII, c. I. Tripart. Hist.

Monachi Ægypti, teste Cassiano, labore manuum incessanter se in cellulis exercebant, sed ita, ut Psalmorum quoque vel cæterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omittebant. CASSIAN. I. III. Inst. c. II.

Alphonsus Rex, cum a Mattheo Siculo extimæ sanctitatis viro reprehensus fuisset, quod manibus laboraret, subridens respondit: Numquid Deus et natura Regibus frustra manus dederunt. PANORM. I. II. de Reb. Alph.

Christi Apostoli, cum prædicando Evangelium omne fere tempus absumerent; quoties ab ejusmodi operibus requies contigisset, manibus aliquid operari solent. Tarsensis Paulus, ubi classicum ille infarat, quo pacto maximam humanarum gentium partem ad Christi signa convertit, funes texuit. Petrus Bar-Jona et Joannes Zebedei filii medio apostolatu piscati sunt; non quia non esset quod docere possent, aut non haberent quod utilius operarentur sed ut sibi concessum otium verterent in negotium,

satus esse rati aliquid agere, modo id quod ageretur, honeste fieret. SABEL. l. II.

Lucas Evangelista celestium rerum meditatione fatigatus, aliquid semper depingere solitus est; declarant hominis studium in eo genere tabulae, quae hodie hanc uno loco videntur, cum Deiparæ iconibus ipsius manu affabre figurata. Ibid.

Stephanus Anachoreta in eremo de palmis funes texiit. Majus tamen et severius Serapionis institutum, qui cum Abbas esset ita inter monachos comparavit, ut sibi quisque manu alimenta quaereret, si quid inde superesset, id egenis impertirent, iis praesertim, qui aut in vinculis jacerent, aut custodia tenerentur. Ibid.

Hilarius Abbas manuum labore victiavit, qui in monte Emilia commorabatur atque ibidem suis impensis Ecclesiam construxerat; cum ergo corpus exercendo, animæ integritatem conservavit, et tandem celestem beatitudinem consecutus sit, apparet verissimum esse illud in Ecclesiastico scriptum: Via sibi sufficientis operarii conculcabitur, et in ea inventes thesaurum. MARRUL. l. III.

S. Elisabeth, quæ tam humilis vixit, quam clara est inter homines et illustris, regia fortuna, in qua orta fuerat, aut lanam carpere, aut texere, aut certe aliud serio operari ne per otium et quietem ullum sibi tempus elaboraretur, nullam majorem jacturam arbitrata, quam temporis, in quo sita est vilificationis ratio, quam Evangelica celebrat historia. Ibid.

UTILITAS. — B. Virgo Cisterciensis Monachos, cum toto die in agro laborassent, in dormitorio dormientes invisere cum aliis duabus pedissequis conspecta est, vasculumque portans cellario id videnti dicere: Meos ego hodie Monachos in agro invisi, eorumque sudores in hoc vasculum collegi, quorum odor et mihi, et filio meo suavissimus afflatur, dignus utique suo præmio et mercede. *Spect. Exempl. ex III; et Lanæ, op. xv, c. vi.*

Alias Reinaldo vidente, ad Fratres in agro laborantes descendere, atque singulos amplecti et osculata, sudorem a frontibus abstergere dignata est. Ibid.

Sed et Cisterciensis Familie coquo, cum tota die labore culinæ ob hospites occupatus, noctu preces magnæ Matri persolvere vellet, sed ob urgentem somnum vix posset, adstitit, et his verbis allocuta est: Fili bone,

satis tu quidem haec mihi fecisti, confer te nunc parum ad quietem. Ib. n. 70.

Idem etiam Hermano Monacho officium præstitit, dum eundem, cum e lecto ad horam, quam nondum dixisse se meminaret, recitandam descendente quiescere jussit, sequæ horam pro eo persolutoram sponondit. CESARIUS. b. vii, c. lii.

S. Arsenius postquam diu in monasterio vixisset, rogatus, in qua re maxime confideret? In eo, respondit, quod homines fugi, quod lacui, quod fleui, at in eo potissimum, quod manibus laboravi. LANCIZ. op. xv, n. 74.

Cum Monachus, 59 annis in humilibus laboribus summa cum diligentia et alacritate ministrasset, tertia die post mortem suavissimus odor ex sepulchro exhalare perceptus est; quare aperto loculo reperitum est ex duobus pedibus velut fontibus suavissimum unguentum profuere. Quo viso Abbas ad fratres conversus: Videtis, inquit, ut fatigationem illius, ac laborum sudores quasi revera unguentum pretiosissimum oblatis, susceptique a Deo sint. S. CLM. grad. iv.

Cum eremita quidam aquam per duodecim millia passuum apportare solitus, constitisset, cellam fonti propiorem facere, Angelus ipsum sequens, vestigia numeravit; quem cum Eremita conversus quaesivisset, quis esset? Ille: Angelus sum, respondit, missus numerare vestigia tua, ut competentem suo tempore mercedem recipias. Quo audito senex adeo roboratus est, ut cellam remotiori longe in loco ædificaverit. ROSWEID. t. 589.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

Cum Alphonsus Rodriguez aliquando quemdam patrem ad longiusculum spatium ascensuque difficile comitatus fuisset, B. Virgo medio in itinere eidem apparuit, et frontem illius sudantem candidissimo limbo abstersit. LANCIZ. op. xv, n. 45.

Simon Murarius P. Petro Scargæ, Rectori Collegii Vilenensis, totus splendidus, sed in manibus præcipue, apparuit, dixitque causam majoris splendoris, esse quod manibus illis specialiter pro Dei gloria laborasset. Ib. n. 40.

Vincentius Scortiglia, licet per triginta annos podagræ doloribus fuerit exercitatus,

domestica tamen munia et labores cum magna charitate obivit; unde post mortem cum suavissimo concentu P. Julio Mancinello apparuit, et sequenti die inter cœlestes conspectus est. Ib. n. 9.

Paulus Vergius, licet quatuor minoribus Ordinibus jam initiatus, abdicatis studiis ultro se domesticis servitiis addixit, et ex his graviores semper abjectiores labores deposcit, dicere solitus, quo quis diutius in Societate vixisset, tanto minus de otio et quiete illi cogitandum esse; et qui perseverare ac mori in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse. *An. 1603. Col. Crumloviensi.*

Hubertus Vayenberg Lovaniensis laborem non minori voluptate, quam quietem, amplectebatur; unde cum postea ob morbum in lecto hæerere cogere, nihil ægrius ipsum habebat, quam quod laborare non posset. *Annue 1612, fol. cclxix.*

Leonardus Buechler summa semper animi quiete inter labores fruitus est, cui quieti pabulum pia inter labores commensatio subministravit, simulque omnes laborum molestias abstersit. *Annue 1613. C. Prov. Brem. f. clv.*

#### EXEMPLA PROFANA.

Apelles numquam diem aliquem præterlabi permisit, quin lineam duceret, artemque exerceat. Unde subducere se aliis negotiis solitus dixit: Hodie nullam lineam duxi. *PLIN. l. V, c. xiii.*

Severus Imperator tantus amator laborum fuit, ut, quo alios quoque ad laborem incitaret, Tribuno symbolum dari jussisset: Laboremus. JOS. LANGIUS, in *Polyom.*

Brachmanes Philosophi pueros impransos foras protrudebant, si nihil utilis operæ, vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent. *Ib. V. eod.*

Parthi quoque liberis suis non ante præbebant victum, quam cursus, jaculandique certamine suscepto, sudore circa capita diffusus, fessi permauissent. Ibid.

Rusticus quidam, ut filios suos ad laborem incitaret, moriturus iisdem dixit, se thesaurum in vinea sua reconditum ipsis relinquere, ac proinde, ut eum sollicite quaerant, hortari; unde illi totam postea vineam circumfodientes, thesaurum quidem non invenerunt, sed tamen ut effossa terra

vites uberrimum fructum referrent, effecerunt. Ibid.

Demetrius qui Poliocertes cognominatus est, bellicas machinas et naves fabricare solitus est, cum a rebellica ejus fuit scientis. simul vacaret; pulcherris hic quam Æropus, Macedoniae Rex, qui si quid otii nactus esset, ut id in negotium verteret, lucernas et parvos fabrefecit abacos, vile opus et ridiculum, præsertim in Rege, sed sic melius, quam si nihil fecisset. Nihil magna ingenia minus ferunt quam otium. SABEL. l. II.

Parthorum Reges ne desidia torpescerent, telorum cuspides acnere consuevisse traduntur, seduloque id facere, ut non solum animi oblectationem ex ea re sibi quaerent, sed et laudem. Ibid.

Cyrus Major mirifice est terræ cultu delectatus. Constat a Laedæmonio hospite mortalium felicissimum judicatum, quod præter regnum, quod amplissimum illi fuit terram scientissime coleret. Ibid.

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut non statim, postquam semen in terram coniectum fuit, frugem demetimus, sed messes multis mensibus cum magna patientia expectamus; ita non decet a labore cessare, etsi non statim appareat fructus, quem sperabamus. ERASMUS, in *Simil.*

Sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinere ab auditu; sic, imo multo melius laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut non vacet. S. BERN. s. iv, de *Alt. et bassit. cordis.*

NECESSITAS. — Sicut a cibo pendet tota vita cum suis actionibus et effectibus; ita etiam a labore pendet, quicquid in rebus bonum est. PHIL. in *l. de Sacr. Abel.*

Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit; sic in senectute fructus colligere non poterit, qui prius eosdem in juventute per laborem non comparavit. S. CYPR. l. de *Abus.*

Sicut agrum, qui ad sementem paratur, scindi, occari, sartiri, et aliis modis coli oportet; sic nos quoque, dum ad virtutem erudimur, nulla laborum patientia decet frangi. TRIVER. in *Apoph. cx.*

Sicut sine luce videre non possumus; ita nec sine labore, virtutum actiones exercere,

cum labor perinde medius quasi sit inter mentem et bonum, quod desiderat, sicut lux inter objectum et oculum. PHIL. 1. c.

UTILITAS. — Sicut plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur; sic animus moderatis laboribus adjuvatur, immoderatis obruit. PLUTARC. in *Moral.*

Sicut rosa flos gratissimus de spinis nascitur; sic e tristibus et asperis fructus laboris jucundissimus capitur. ERASMUS, in *Simil.*

## MOTIVA.

*Christi exemplum;* qui in laboribus fuit a juventute sua; non autem decet servum meliorem esse domino suo.

*Necessitas;* quia, teste Horatio, nil sine magno vita labore dedit mortalibus, nec deinceps dabit. HORAT. l. a. *Sat.* IX.

*Utilitas;* quia Dii laboribus omnia vendunt, et non minus labor, quam pietas ad omnia utilis est.

*Securitas;* quia laborantem unus, otiosum innumeri oppugnant hostes.

*Jucunditas;* si enim agricolæ spes messis jucundum facit laborem; quid non efficiet spes præmii, et quidem tanti in cælo accipiendi?

## ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de labore specialiter nosse debet. Quid ante laborem observare debeat, nempe ut in nomine Domini eandem inchoet, id est, in gratia sit constitutus, propter Deum peragat, et auxiliium divinum invocet; hos enim sensus patiuntur verba illa: In nomine Domini.

Alterum est, ut norit, quid sub labore observare debeat; scilicet ut diligenter, alacriter, et constanter eum peragat; hilarem enim datorem diligit Deus, et in Christianis non exordia laudantur, sed finis coronatur. Itaque sic laborare debeat, et cum Christo dicere possit: Consummatum est.

Tertium est, ut pariter sciat, quid post laborem observare debeat, nempe, ut nihil suis viribus adscribat, gratias pro felici successu debitas persolvat, et omnem eventum Deo penitus relinquat.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Præceptor, tota nocte laborantes, nihil cepimus; » (LUC. V, 5) potest ostendi, qui in nocte laborent,

nempe, 1. II, qui peccatis gravibus oneratum conscientiam habent; quamdiu enim in hoc statu manent, omni merito carent, atque adeo vani sunt eorum labores. 2. Qui prava intentione laborem peragunt; cum enim intentio sit oculus animæ, recte, qui bona intentione carent, in tenebris laborare dicuntur. 3. Qui sine invocatione divini auxilii laborant; cum enim sine hoc tam parum quis operari possit, quam homo in tenebris constitutus queat, etiam isti merito in tenebris ambulare dicuntur.

Ex occasione thematis: « Videte oculis vestris, quia medicum laboravi, et inveni mihi multam requiem; » (ECCLES. XV, 38) potest explicari triplex requies, quam sedulo et pie laborantes sibi comparant. 1. *Ante mortem;* nam et corporalem sibi conciliant, dum faciunt, ut somnus juvenior accedat, juxta illud Ecclesiasticus: Dulcis est somnus operanti. (ECCLES. V, 11.) Et spiritualem, dum per laborem otium, et cum eo vitia profligantes, quietam et securam conscientiam, quæ est quasi jure convivium, procurant. 2. *In morte;* quia, cum sciunt, se per vitæ tempus sedulo laborasse, cum gaudio mortem, velut vesperem excipiunt, et denarium gloriæ pro labore diurno se accepturos sperant. 3. *Post mortem;* quia tunc implendum illud Apocalypsis sperabunt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. AROC. XIV, 13.

Ex occasione thematis: « In verbo tuo laxabo rete; » (LUC. III, 5) ostendi potest, quomodo labor fructuose suscipi debeat. Nempe 1. si in *verbo Dei*, id est, juxta voluntatem et beneplacitum Dei suscipiatur. 2. Si rete *ad dextram mittatur*, id est, si labores per bonam intentionem ad ultimum finem dirigantur; hoc modo enim quaeritur ante omnia Regnum Dei et justitia ejus, et merito speratur, quod reliqua adjicienda sint. 3. Si fructus laboris non nostris viribus, sed Deo adscribatur, dicaturque cum Davide: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; sic enim gratiarum non cessabit cursus, si tam sincerus recursus fuerit.

Ex occasione thematis: « Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit; » (PS. CXVII, 2) potest ostendi, quod optimus modus se, suosque alendi sit labor. 1. Quia *efficacissimus* ad divitias

et opes obtinendas, uti Furius Græcinus docuit, qui cum labore suo magnas opes comparasset, veneficii accusatus apud Magistratum, filiam nubilem, et boves, et agriculturæ instrumenta secum adduxit, et hæc veneficii sui instrumenta esse dixit. 2. Quia *honestissimus* est; dum proprio labore et conatu opes necessarie comparantur. 3. *Securissimus;* quia sic nullus clamare aut dicere cogitur, ne iste vel ille cibus appositus furtivus sit. 4. Quia *constantissimus* est; cum hoc medium a nullo hoste auferri potest. 5. Quia *jucundissimus* est; quia sanitatem conservat, et cibos, somnum, totamque vitam dulcem et suavem efficit; bonam quoque conscientiam concilians, verificari facit illud Salomonis proverbium: Melior est lucella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio (male conscientie). PROV. XVII, 1.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Non male laboris efficaciam descripsit, qui dixit:

Labor omnia vincit  
Improbis, et duris urgens in rebus agestas.  
VICEL. I. *Georg.*

Cum S. Gertrudis pro quadam persona illiterata, et pro officii sui curas ab oratione non modice impedita oraret, tale a Domino accepit responsum: Ego non elegi eam ad hoc tantum, ut hora una mihi serviat, sed magis ad hoc, ut integra die mihi adsit, id est, ut omnia opera sua continue ad laudem mihi perficiat ea intentione, qua vellet orare. Et insuper hanc superaddat devotionem, ut scilicet in omnibus operibus, quibus in officio suo laborat, semper desideret, quod omnes, qui utuntur laboribus suis, non solum reliciantur in corpore, sed etiam attrahantur in Spiritu ad amorem meum, et confortentur in omni bono. Et hoc quotiescumque facit, toties quasi singula fercula operum et laborum suorum quadam saporissima salsa mihi condire videntur. *Insin.* I. III, c. LXXIV.

S. Clara de Monte Falco dixit, se velle libenter occupari in vilissimis monasterii officii, eo quod experiretur, orationem non perdi in talibus officii, sed augeri. *Vit.* p. II, c. XXVII.

NECESSITAS. — S. Brigittæ dixit Christus: In spirituali vita, qui perfectus esse desiderat, debet prius esse Martha laborando in

honorem meum corporaliter. I. VI, *Rec.* c. LXXV.

Cato Romanus neminem in Civem Romanum admittebat, quin prius manus illius contractaret, quas si molles ac teneras deprehendebat, ut effeminatum rejiciebat; si vero duras et asperas, ut dignum jure Civitatis admittebat. ENGELGR. p. II. *Luc. Ev.*

Recte et vere cecinit Claudianus:

Non quisquam fruitur veris odoribus,  
Hybleos latebris nec spoliat favos,  
Si fronti caveat, si timeat rubos,  
Armat spina rosas, mela tegunt apes,  
Herculem duri celebrant labores.

CLAUDIANS. in *nuptiis Honorii.*

UTILITAS. — S. Ignatius de quodam Fratre murario dixit: Quot ponebat lateres in muro, quoties tundebat eos suo malleo; quoties calcem apponebat, tot sibi ponebat coronas in celo. LANCIZ. *opusc.* XI, n. 8.

P. Hieronymus Natalis dicebat, se duobus tantum hominum generibus in Statu Religioso invidere: primo Novitiis, qui nulli alteri rei præterquam uno in spiritu profecti vacent, et intendunt; deinde Fratibus domestica officia obeuntibus, quod liberam et exornatam studiis et curis mentem habeant ad die tota orationi intendendum. *lib.* n. 10.

Christus dixit S. Gertrudi: In Resurrectione futura, quando corpus hoc mortale induet incorruptionem, tunc singula membra humana recipient singula præmia meritum, pro singulis laboribus et exercitationibus, in meo nomine et pro meo amore peractis. L. III, *Insinuat.* c. LXIX.

Alias, cum procuratori Claustris compatiens rogaret Christum, ut ipsi suos labores compensaret, responsum hoc accepit: Corpus illius, quod toties talibus laboribus pro me lassescit, est mihi quoddam thesaurarium, in quo tot drachmas argenteas repono, quoties ipse aliquid membrum movet ad necessariam sibi commissis acquirenda; et cor ipsius est mihi quasi area, in qua tot anreas drachmas reconditas mihi habere gaudeo, quot ipse cogitationibus instigatur, sollicitè subditis providere ad laudem meam. *Ibid.*

S. Bernardus cuidam Fratri sternæ laboranti dixit: Eia, Frater, perge sic laborare, quia nullum post hanc vitam Purgatorium habebis. CANTIP. I. I. *Apum.* c. v.

DIGNITAS. — Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare; servile otio et luxu vacare. PANORM. *lib.* IX, *de Gest. Alph.*

S. Gertrudi dixit Christus : Sicut præpotens aliquis Imperator non solum gaudet habere in palatio suo delicatas, ornatasque puellas, sed etiam constituit, et ordinat principes ac duces, militesque, ac alios ministros, diversis operibus aptos, qui semper parati sint ad negotia ejus peragenda; ita et ego non solum delector in deliciis eorum, qui divina contemplationis quietem, me trahente, sequuntur, verum etiam allicior ad manendum cum filiis hominum, dum ipsi quolibet exercitiâ vilium negotiorum mei honoris, et amoris causa suscipiunt. L. III. *Insinual* c. LXIX.

## AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. 43, c. II, III, et seqq.

Henriens Engelgrave, in p. II. *Lucis Evangel.* in *Dom. septuag.*

Josephus Langius, in *Polyantha*. V. eodem.

Laurentius Beirlinck, in *Theat. vlt. lum.* V. eodem.

## LACRYMÆ.

## QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Sunt humor excrementitius sero similis, in cerebro, venisque oculorum latens, et forti compressione dictarum venarum expressus. *Juxta comment. Phil. explicationem.*

DIVISIO. — Dividitur in *naturales et piæ*; illæ sunt, quæ ex naturali aliqua causa exortæ, ad naturalem quoque finem ordinantur; istæ, quæ ex supernaturali aliquo motivo eliciuntur, similisque ad finem diriguntur. Cujus quatuor species assignat S. Gregorius sequentibus verbis: Quatuor sunt qualitates, quibus justi viri anima compunctione vehementi afficitur, cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans, ubi fuit; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quærens considerat, fibi erit; aut cum mala vitæ præsentis attendens considerat, ubi est; aut cum bona superne patriæ contemplatur, quæ, quia necdum aspiciunt, lugens considerat, ubi non est. Verum hoc loco de prima potissimum specie sermo erit.

nenpe de lacrymis, quibus peccata desillentur. S. GREG. I. XIII. *Mor.* c. XXI.

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum. JER. IX, 1.

Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. PS. VI, 7.

Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. LUC. XXIII, 28.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. PS. LV, 9.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. PS. CXVIII, 136.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in flectu et planetu. JOEL II, 12.

Deducant oculi mei lacrymam per diem ac noctem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. JER. XIV, 17.

UTILITAS. — Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. TOB. XII, 12.

Contribulasti capita draconum in aquis. PS. LXXIII, 43.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. ECCL. VII, 3.

Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolantur. MATH. V, 3.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. PS. CXXV, 5.

Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. PS. LXXXIII, 7.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Irriguum superius accipit anima, cum se lacrymis Regni celestis desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. S. GREG. in *Regist.*

Uniuscujusque mens tantum penitendo compunctionis suæ bibit lacrymas, quantum se a Deo seminit amissis per culpas. Idem, in *Pastor.*

Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter Regnum celorum. B. PETRUS CELLENS. de *Pamb.* c. XII.

Deus delinquentium gemitus esurit, sicut lacrymas peccatorum. S. CHRYSOST. s. XCIII.

Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. S. LEO ap. *Beati* I, IV, in *Festo omn. SS.*

Tantum peccatum luceamus, omnia vero alia, sive paupertas, sive morbus, sive mors intempitiva; sive calumnia, sive exagitemur ab aliis, sive quodcumque aliud mali genus nobis acciderit, infracto animo feramus. S. CHRYS. s. de *Dormient.*

Ex piis affectibus quadam flendi voluptas et plerumque graves lacrymas evaporat dolor. S. AMB. de *Obitu Val.*

Lacrymæ infantium, testes nostræ miserie. S. AUGUST. hom. x.

Lugentes sunt aliqui, sed si ex corde procederent lacrymæ, non tam cito solverentur in risum. S. BERNARD. de *Ado. Dom.* ser. IV.

UTILITAS. — Multus peccati ignis est, et modica lacryma illum extinguit. Idem I. V. de *Pen.*

Quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. Idem s. XCIII.

Dicam tibi, quid valeant lacrymæ. Martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas fundunt. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit, et delevit peccata sua. Idem, in Ps. L.

O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur! O felix lavaerum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum! S. AUG. I, XI, ad *FF.*

Est et baptismus aliquis in lacrymarum assiduitate; et quoniam baptismi Sacramentum iterari non licet, qui sæpe in multis offendimus, frequenti oportet ablutione suppleri. S. BER. s. I, in *oct. Pasch.*

Vim facinus Domino non compellendo, sed flendo; non provocando injuriis, sed lacrymis exorando. S. AMB. I, V, in *Luc.* c. v.

Oratio Deum lenit, sed lacryma cogit. S. HIER. c. XXXVIII, in *Is.*

O lacryma humilis, tua est potentia, tum regnum, tribunal Judicis non vereris, inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas Omnipotentem. S. AMB. *sup. Luc.* I, c.

O felix diluvium! O felices lacrymas, quæ animum dolentem levant, et peccatorem

imo tartaro infixum sublevant in sublime. S. GREG. NAZIAN. orat. III.

Mutatur ordo rerum, pluviam terræ dat cælum semper; ecce nunc rigat terra cælum, imo super cælum, et usque ad ipsum Dominum imber humanarum profluit lacrymarum, ut juxta Psalmistam, et de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes quæ supra cælum sunt, laudent nomen Domini. S. CHRYS. ser. XCIII de *Magd.*

O lacryma mentem purgans, intentionem fecundans, confessionem irrigans, animam sanctificans. Hæc est lacryma sancta compunctionis soror, quæ motus illicitos extinguit, Paradisum aperit, infernum claudit. Hæc est herba celestis illius Fullonis, quæ vestes servorum suorum deturpatas, a sorde quotidie purgat. S. AUG. ad *FF.* in *Eremito.*

Multis consolationi sunt lacrymæ, et ex parte maxima magnitudinem doloris minuunt, dolor siquidem speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur plus ignescit. S. CHRYS. *super Matth.*

Sicut per vehementes imbres, aer mundus ac purus efficitur; ita et post lacrymarum pluvias, serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. S. HIER. in *Epist.*

Vincit lacryma invincibilem, ligat Omnipotentem, inclinat Virginis filium.

JUCUNDITAS. — Dulciores sunt lacrymæ orantis, quam gaudia theatrorum. S. AUG. in *Psal.* CXXVII.

Lacrymæ penitentium, vinum sunt Angelorum. S. BERN. apud *Engelg.* p. II, emb. XXIV.

Nihil est porro his lacrymis jucundius; quovis risu sunt hæc jucundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat voluptatem. S. CHRYS. hom. XII, in *Ep.* ad *Colos.*

Deliciæ Angelorum sunt lacrymæ nostræ, et delectabiles lacrymæ penitentis. S. BERN. in *s.*

Viderant Paradisum isti oculi, viderant tertium cælum; sed eos non tam censeo beatos propter hoc spectaculum, quam propter lacrymas, per quas viderunt Christum. S. CHRYS. hom. XII, *Ep. Colos.*

## EXEMPLA.

QUALITAS. — Christus non solum super Jerusalem et Lazarum, sed etiam in cruce cum clamore valido et lacrymis preces Deo Patri pro nobis obtulit (HEBR. v, 7). Imo sunt aliqui, teste Drexelio, qui putant, eum

numquam sine lacrymis orasse. Unde S. Chrysostomus dixit: Flentem Christum frequenter invenies, numquam vero ridentem. S. CHRYS. hom. IX, in *Matth.*

S. Jón de se ipso fatetur: Ad Deum stillat oculis meus. *JOB. XVI, 21.*

De S. Petro testatur Ambrosius, dicens: Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego; non invenio, quid dixerit, sed quod fleverit. Imo, juxta alios, tanta assiduitate deflevit negationem Christi a se factam, ut sudci a lacrymis facti in vultu apparerent. (S. Amb. *sup. Luc.*) Unde S. Leo has lacrymas extollens ait: Sancte Apostole, lacrymæ tuæ ad diluendam culpam negationis, virtutem habuere sacri Baptismatis. S. LEO, s. IX de *Pas.*

S. Paulus de se ipso testatur: Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. (Act. XX.) Unde S. Chrysos. ait: Ex quo fonte tanta emanarunt fluentia, ut ex illius oculis lacrymæ? Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne, qui est in Paradiso, qui rigat universam terram? Sed nihil dieis æquale.

S. Hieronymus quoque de se fatetur: Mens desideris aestuabat in frigido corpore, et ante hominem suum, jam carne premortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesum confugebam, pedes rigabam lacrymis. Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, donec rediret animo tranquillitas. S. HIER. ep. IX, ad *Eustoch.*

B. Aloysius Bertrandus assidue flebat, et interrogatus dicebat: Cur non fleam amarissime, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus? *Ejus vita, c. IV.*

Arsenius Abbas sine intermissione lacrymabatur, eo quod tamdiu a celestis Patriæ ingressu suspensi se videret. *FAB. conc. VII, in Dom. 3 post Pasch.*

Sanctus Bernardus dicebat: Firmum est mihi propositum numquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba: Venite, benedicti! Neque a fletu desinam, donec liber sim ab illa sententia: Ite, maledicti, in ignem æternum! *FAB. conc. IV, in Festo S. Magdal. n. 5.*

De Eustochii matre Paula scribit Sanctus Hieronymus: In ea fontes crederes lacrymarum, ita leviter peccata plangebatur, ut eam crederes gravissimum criminum ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut par-

ceret oculis: Turpanda, respondebat, est facies, quam contra Dei præceptum purpurata et cerussa, et stibio sæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis; longus risus perpetui compendans est fletu. S. HIER. in ep. ad *Eustoch.*

Sanctus Franciscus, cum ob assiduitatem lacrymarum visum hebetaret, ideoque moneretur, ut oculis parceret, respondit, haud tanti se facere functiones sensuum, ut eorum causa velit languescere devotæ mentis vigorem, qui suspiriis alitur, et per lacrymas sibi accessum ad Deum parat. S. BONAV. c. I, *Vit.*

Elisæus videns Azaelem coram se cœpit flere, propter mala, quæ ille facturus filiis Israël, cum esset futurus Rex Syriæ. *REG. VIII.*

Cum audisset Josias, Rex Juda, comminationes scriptas in libro legis Domini propter peccata, scidit vestimenta sua et flevit, et multum Deo placuit. *REG. XXII.*

Judei ex captivitate Babylonia reversi cum librum legis ab Esdra Sacerdote lectum audivissent, ob transgressiones suas plorabant. II *ESDRÆ VIII.*

Cum audisset Nehemias miserabilem statum Jerosolymorum flevit diebus multis et jejunavit et oravit ante faciem Dei cœli. *NEHEM. I.*

Postquam Petrus tertio Christum negasset et Christus misericordiæ suæ oculis respexisset, egressus foras flevit amare. *LUC. XXII.*

S. Dominicus, Fratrum Prædicatorum Antistes, optabat tum se revera Christi fore membrum existimans, si ejus se exemplo animabus lucrandis prorsus manciparet. Plenum erat sanctissimis affectionibus pectus ejus, atque erga omnia tum prospera, tum adversa proximorum mira pietate movebatur, pauperum penuria et miserorum calamitatibus torquebatur, atque in primis perennitum animarum zelo mire angebatur, et mente sauciebatur. Ita nimirum instar prophete Domini peccata hominum et afflictorum miseras contemplanus aestuabat animo intrinsecus, et fletus largissime, latentem commiserationis affectum per lacrymas probebat foris. Hanc excellentissimam charitatis gratiam specialiter habebat a Deo donatam, fletu scilicet pro peccatoribus et miseris atque afflictis omnibus condolendi; sed quantum illi angoris et mœroris erga calamitosos condoleantia, tantum profectus

piorum hominum, quibus mire gratulabatur, eum quadam pigmenta odorifera eum consolabantur. Inter hæc quæ sursum sunt, querens, agebatur in Deum homo divinus gloriam sanctorum contemplanus et ad illam veram patriam anhelas lugebat profuse diuturnum sui exilii incolatum. F. THEONORIC. de *Apol. I. vitæ ejus, c. IV.*

UTILITAS. — S. Antonius, cum Monachi illius aqua indigerent, vix primam pro ea impetranda lacrymam fudit, et mox in ipso orationis loco fons ebulliens erupit. S. ATHA. in *Vit.*

Cum Raymundus Capuanus, confessorius S. Catharinæ Senensis, ab ea peteret, ut bullam plenarie Indulgentiæ a Deo impetraret, et illa facturam se hoc recepisset, ipsoque opere præstitisset, sequenti die Raymundus cum ea de ingratitude colloquio instituto, tantam vim lacrymarum profudit, ut periculum fuerit, ne cor et pectus rumpebatur. Tum virgo: Hæc, inquit, est bulla Indulgentiæ, quam tibi Dominus misit; esto igitur gratus gratiæ Dei. *Vita S. Cathar. Sen.*

S. Mamertes, ubi urbem Viennensem in Gallia flammis accensam vidit, monuit assidue, aqua potius oeculorum, quam fluminum restinguendam. *ENGEL. h. I. XXIV, p. 2.*

Dum S. Maria Magdalena Dominicis pedes lacrymis lavat, crinibus tergit, in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptismum suorum dilueret illuviem peccatorum, ut Sanctus Chrysostomus loquitur. ser. XIII.

Parisius cum juvenis quidam nefanda, quæ commiserat, crimina confiteri erubesceret, imo ob nimiam contritionem intercepta voce non posset, ideoque scripto porrigeret, Confessorius obstupescens gravitatem criminum dixit: Non sufficere tibi dare consilium; si per te licet, conferram cum Abbate meo. Verum dum Abbati schedam porrigit, omnia peccata deleta vidit. *CÆS. I. II Apum, c. II.*

Cum Frater quidam ex ordine Cisterciensi assidue peccata sua defferet, tandem nocte quadam vidit Christum sacris vestibus indutum, et Sacrificium offerentem; sed cum ad populum se vertens nihil aliud, quam calicem, in quo lacrymæ Sanctæ Magdalene in domo Simonis fuscæ asservabantur, ostenderet, et Frater causam hujus os-

lensionis quæreret, respondit Christus, se hoc fecisse, ut sciant omnes, quantum placeat cordis contritio; atque ideo etiam ad exemplum penitentium tamdiu lacrymas hujus peccatricis servasse. *Lib. de Virg. illust. Ordin. Cisterc.*

Illustre exemplum de virtute lacrymarum, ex Anastasiæ Sinaitæ oratione in Psalm. 6, extat. Fuit latronum princeps quidam in Tracia partibus, crudelis, qui omnia itinera obsidebat; quem cum capere multi conarentur, idque fuit ad Mauritium Imperatorem delatum, per quemdam adolescentem ei nuntiat, sua cuique servanda et custodienda. Latro reveritus Imperatoris sermone, divina quadam vi urgente, abjecto prædatorio animo, cum lenitate oculo in morem deinde criminique confitens, ad pedes Imperatoris accedit. Post paucos dies in febrim incidit, et decumbit in valetudinario, quod Samsonis dicebatur. Hinc vini etiam potu usque, phrenesi insuper correptus est; sed paulo post factus sobrius et ad se insuper reversus est; ut vidit se premi morbo, ingruente jam nocte, ad Deum se convertit, cum lacrymis sua scelera confitens, eorumque veniam petens, multis verbis, et lacrymis ad plenas horas. Lacrymas autem sudario abstergebat donec tandem spiritum efflavit. Medicus autem quidam primarius hospitalem domum visitare solitus, vidit domi suæ in somnis ea ipsa hora, qua latro vivere desiit, Æthiopes multos ad latronis lectum accedentes cum plurimis chartis, in quibus peccata ejus descripta erant, et post eos duos lucidos Angelos forma virili. Sumpta vero trutina cum Æthiopes illi latronis chirographa omnia, in lancem unam immisissent, mox ea depressa est, vacuæque altera in altum sublata. Dicunt Itaque duo lucis Angeli: Sicine nos nihil hic habemus? Tum eorum alter: Et quid habemus, cum nondum decimus dies sit, postquam sedes latronumque latibula reliquit? Quid autem ex hoc querimus? Ut vero hæc dixerunt, visi sunt manu vestigare aliquid, ac quærere in lecto ejus, si forte et ipsi boni aliquid invenirent. Cum alter autem stropholum illud invenisset, quo latro fletum absterserat, ad socium ait: Hoc profecto lacrymarum ipsius stropholum fuit. Mittamus illud in alteram lancem una cum Dei benignitate; et omnino aliquid tandem erit. Quo facto, depressa est vacua et levis lanx, dissipatis omnibus omnino, atque dispersis

chirographis. Ad quæ Angeli una voce exclamaverunt: «Eia, vicis Domini benignitas! » arreptaque latronis anima, secum eam duxerunt; Æthiopes autem illi pudore suffisi effugerunt. Hæc ubi vidit medicus, quam primum evigilavit, ad hospitale currit. Ubi ad lectum latronis accedens reperit quidem calens etiamnum corpus, sed animam ad Dominum demigrasse. Stropholum autem lacrymis plenum super oculos ejus jacebat. Mox etiam ex iis, qui in propinquo jacebant, didicit eriminum confessionem, quam Deo latro fecerat. Rapto itaque stropholiolo ad Imperatorem contendit, ostendens illi, ac edisserens, tum que in somnis viderat, tum que a decumbentibus audierat. HENRIC. SOMMALIUS, in *Annot. ad c. xxiv. Parad. animæ.*

Pii fletus pro alio quanta vis sit, testatur Monica D. Augustini mater, cui pro filio Manichæa hæresi implicato multum lugenti atque oranti divinitus dictum est, ubi ipsa esset, ibi et illum futurum. Ab Episcopo etiam, quem ut pro illo oraret, cum fletu rogaverat, audivit, fieri non posse, ut tantarum lacrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosii Episcopi prædicatione conversus, non solum errorem omnem abiecit, sed etiam errantibus viam veritatis monstravit, obscura quoque declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, prava falsaque omnia plenissime confutando, tantum profecit matris pro filio lugentis assidua sollicitudo. Ex lib. III. *Conf. D. Aug. c. XII.*

#### EXEMPLA PROFANA.

Heraclitus Philosophus ad omnem hominum occursum flevisse dicitur; dolebat enim, nihil sani esse in hæc vita, nihil in homine non caducum, fluxum et peribile. LAERT. I. V. c. 1.

Princeps quidam, nomine Trisons, cum esset in subditos crudelis, ideoque ab illis timeretur, omne in primis illis inter se colloquium interdixit. Quare ipsi per nutus confabulari cœperunt; quod cum similiter prohibuisset, cives in foro considentes lacrymas una ciere incoeperunt. Cum autem hoc sibi in majorem cessurum perniciem crederet Trisons, ideoque id prohibiturus in forum descenderet, a lacrymantibus jugulatus est. AELIAN, I. XIV. *Hist.*

Seneca de seipso dixit: Cur fleam, scio,

nempe ob meipsum; nondum reperi, cur rideam. SENECA, in *Consolat. ad Polyb.*

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut hydria, si liquore plena fuerit, subito revoluta, liquorem fundit; sic pius cor lacrymarum plenum, ex subita peccati compunctione, quasi a summo ad imum revolvitur, et lacrymas uberes profundit. STAPL. tom. I. in *Dom. 9 post Pentec.*

Sicut vapores calore solis rarefacti ad coelos ascendunt; ita lacrymæ a charitate Dei velut celestis Solis radiis calefactæ, in cælum levantur. PINEDA, in c. xxvi. *Job.*

UTILITAS.—Sicut post vehementes imbres mundus ac purus aer efficitur; ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur. S. CARYS. hom. vi. in *Morc.*

Sicut aquæ diluvii aquam elevarunt a terra in sublime; ita animus in limo profundi et luto peccatorum defixus, extollitur exundantia lacrymarum. ENGELGRAV. p. 2. *Embl. 24. § 3.*

Sicut nummus in pelvi aqua plena melius cernitur; sic peccata cuiusque in lacrymis, et per lacrymas multo evidenter apparent. STAPL. t. I. in *Dom. 9 post Pent.*

Sicut manifestatio injuriarum amico facta minuit sensum doloris; sic lacrymæ ob apprehensas afflictiones fuse, molestum naturæ sensum. LANCIZ. opuse. 9 n. ccxxxvi.

NECESSITAS.—Sicut aquæ inopia non modo aridum, sed et sordidum facit, dum non est, quo laveris; sic et humanum cor lacrymas nesciens, non modo durum, sed et impurum esse necesse est. S. BEAN. *S. de Nim. Fallac. vit.*

Sicut cum domus incendio flagrat, qui eam volunt eripere, ad aquas confugiunt; ita ejus anima cupiditatum flammis accenditur, ad positionem lacrymarum confugiat, oportet. STAPL. loco citato.

#### MOTIVA.

*Æquitas.* Si enim faciem corporis tui, inquit D. Chyostomus, quotidie abluis, ne qua forte macula faciei inhaerens fode appareat; quanto magis anima cura habenda, et quotidie lacrymis abluenda est. S. CARYS. hom. xxi. in *Gen.*

*Necessitas.* Si enim tu, qui gravibus mor-

bis subjecti sunt, tam sollicitè acutulas bibunt, aut thermas, aut aquas distillatas usurpant; quanto magis ad curandos animæ morbos saluberrima hæc aqua lacrymarum sedulo usurpanda erit?

*Utilitas.* Ut enim ille qui se in natatoria Siloe lavit, a cæcitate corporis curatus est; ita qui se in lacrymis lavant, oculos mentis sibi aperiri advertent. STAPL. l. c.

*Jucunditas.* Si enim jam olim dixit Poeta, est quædam flere voluptas; quanto magis de spiritualibus lacrymis mentem serenantibus magna quæpiam voluptas sperari poterit. S. Hieronymus de seipso testatur, quod nonnumquam post lacrymas Angelicus interesse choris sibi visus sit. Idem.

#### ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de hæc materia bene nosse, et observare debet. Primum est, etsi interdum donum lacrymarum sit specialis quædam et extraordinaria gratia, majoribus Dei amicis concessa, extra hunc casum fere imperfectionis ejusdem indicium esse, uti Christus ipsemet quondam Sanctæ Catharinæ Senensi sequentibus verbis dixit: Quando homo privatur consolatione sua extra vel intra, videlicet intus consolatione mea, vel extra mediante creatura, sive superveniente diabolica tentatione, vel hominum persecutione, cor inde penam habet, oculos vero, qui sentit amaritudinem atque dolorem cordis, effundit illico lacrymas ex quodam tenero gemitu, quo sibimetipsi compatitur amore proprio atque naturali, quia voluntas propria totaliter abnegata et conculcata non est. Et ita lacrymæ sensuales effunduntur, videlicet ex passione naturali, quarum tibi supra narravi plenius imperfectionem. (S. CATL. SEN. *Dial. xxx.*) Hinc B. Henrico Susoni ob linguarum maledicentiam adversus se exercitam fletu, dixit Christus: Proh pudor! visne in femina morem lacrymari? Certe tibi ipsi apud omnes cæli Cives ignominie notam inures. Terge oculos, et hilarem vultum exhibe, ut neque Deus, neque homines animadvertant, afflictionis causa te plorare. *Vita* I. XLVII.

Alterum est, ut cognoscat, etsi ab externis lacrymis, ut paulo ante dictum, omni studio abstinendum sit, internas tamen cuiusvis homini salutis sue studioso summe necessarias, atque adeo continuo fovendas esse, id quod aliqui Christum indicasse volunt,

dum dixit: Nisi efficiamini sicut parvuli (qui plus lacrymis, quam robore virum obtinent) non intrabitis in Regnum cælorum. MATTH. XVIII. 3.

Tertium est, ut bene cognoscat causas lacrymandi, quales quidem variæ assignantur. 1. *Peccata propria*, ut quæ merito primum inter lacrymandi causas locum obtinere debent. 2. *Peccata aliena*; id quod peccatorum proprium est, qui, teste S. Gregorio, tanto sciunt de alienis damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Quamvis et aliis hæc causa negligenda non sit, cum, ut idem Sanctus ait: Aliena plangentes sæpe plus nobis ipsi subvenimus, quia apud Deum perfecte diluit propria, qui pure plangit aliena (S. GREG. XII *Mor. c. xxvi.*) 3. *Dei cultus neglectus*; ob quam causam B. Jacobonus assido lacrymabatur, eo quod amorem non amaretur. 4. *Passio Christi*; de qua causa sic Divus Cyprianus loquitur: Vide quomodo his, qui Christi commemorant Passionem, inter sacra officia quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes; anima hic se fletibus abluat, et lacrymis se baptizat. Quam vero utilis, Deoque grata sit hæc lacrymarum effusio, testatur in primis Sanctus Augustinus dicens: Magis meretur, vel unam solum lacrymam emittens ob memoriam Passionis Christi, quam si usque ad Terram Promissionis peregrinaretur. S. AUG. *apud Engel. in Dom. Quinquag.* Deinde confirmat id ipsum Ludolphus de Saxonia his verbis: Si quis dolores Christi revolvendo lacrymas ex compassione effuderit, tanti ponderis ac momenti apud Deum erunt, ac si Martyr inter supplicia eas profunderet. 5. *Dilatatio cælestis gloriæ*; sic Sanctus David gemebat, dicens: Heu mihi, quia incoelatus meus prolongatus est! Et S. Arsenius perpetuo flebat ob desiderium cælestis Patriæ.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Quis dabit capiti meo aquam? » (JER. IX. 4) possunt lacrymæ aquis pretiosis distillatis comparari. Et 1. earum excellentia ostendi *ob modum et instrumentum* ad distillandum adhibita; nam fornax est cor, ignis charitas, herbe motiva ad lacrymas incitantia. 2. *Ob effectum*; quia hæc sordes animi abluunt, morbosque animæ curant, imo et a manifesto æternæ mortis periculo liberant. 3. *Ob odoris suavitatem*;

quo non modo ipse pœnitens, sed etiam Deus et Sancti mirifice delectantur.

Ex occasione thematis : « Nisi efficiamini sicut parvuli , non intrabitis in Regnum celorum. » (MATTH. XI, 3) potest cum Sancto Chrysologo dici Christum hac sententia ad lacrymas incitare voluisse, eo quod sicut viri robur suum habent in lacertis, ita parvuli in lacrymis. Unde 1. cogunt lacrymis ad miseracionem, veniamque ob delicta concedendam. 2. Ad dona, quæ desiderant, impetranda. 3. Ad pericula et mala, quæ illis occurrunt, ab iis propulsanda. Quæ omnia, quomodo per lacrymas piis multo copiosius obtineantur, facile potest ex hactenus dictis demonstrari.

## MISCELLANEA.

UTILITAS. — Cervos aiunt, quantumcumque fatigentur a canibus, pristinas vires recipere, si aquis se immergant; sed et medicis familiare est, lassata membra balnearum fomentis restituere. Sed multo magis lacrymæ confortant, et recreant in via iniquitatis lassatos. BEHL. tom. IV. in Festo S. Magdalene.

Cum Henricus Imperator Trojam, urbem Apulie obsideret, ac civium injuriis laceratus juraret, se nec parvulis veniam daturum, cives puerile agmen, præeunte Cruce ex urbe dimiserunt, qui lacrymis suis Imperatorem ad misericordiam et veniam promoverunt. RADERUS, in *vida S. Theod.*

Cum Antipater Alexandro Magno graves calumnias de matre scripsisset, Rex lectis litteris : Ignorat, inquit, Antipater unam matris lacrymam, multarum calumniarum epistolas esse deleturam. ENGELGRAY. *Emb. XXIV. § 3.*

S. Chrysostomus narrat, servos quosdam fugitivos, pedes ferrea catena colligatos, ejusmodi aquis immergere, in quibus ferum adeo mollescat, ut saxo confringi compedes queant. Taliis aqua lacrymæ sunt. S. CHRYS. hom. 9 ad Pop.

Sedatur lacrymis, egeriturque dolor.

Non male canit Poeta. OVID. l. III. de Ponto. eleg. 1.

Et S. Chrysostomus : Fletus compressus dirumpit, effusus relevat. S. CHRYS. hom. XVIII. ad Pop.

## AUCTORES.

Henricus Engelz. p. 2. *Luc. Evangel. emb. XXIV.*

Nicolaus Lanciz. opuse. IX. c. VI. n. 225. Mathias Fab. conc. VII. in Dom. 3 post Pascha, et conc. III. ac. II. in Dom. 9 post Pent. Item conc. IV. in festo S. Marie Magdalene.

Thomas Stapletonus, text. 1. in Dom. 9 post Pent. et text. I. in Dom. 4 post Pascha.

Jeremias Drexel. p. 2. de Christo moriente, cap. VIII § 2.

Laurentius Beirlinck, text. IV. in festo S. Magdalene.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Commun.* fol. 660.

Josephus Langius, in *Polygonthea V. eodem.*

## LAUS.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est juxta Aristotelem, sermo elcuidans virtutis magnitudinem. (ANISTOT. l. Rhet.) Vel, ut alii volunt, vox populi recta de aliquo loquentis, unde a Græco nomine, ἀπὸ τοῦ λαοῦ dictum voluit.

DIVISIO. — Dividitur 1. in *veram et falsam.* Illa est, quæ ex virtute et operibus honestis oritur; de qua Salomon dixit : Date ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis (id est, locis publicis) opera ejus. (PROV. XXXI, 31.) Ista est, quæ ex alio quocumque titulo minus honesto oritur; de qua Isaias dixit : Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. ISAIAS, c. III, 12.

Dividitur 2. in *propriam et alienam*; illa est, qua quis seipsum ob propria facta laudat; ista est, qua quis alienas dotes aut facta collaudat; de utraque vero loctus est Salomon dicens : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. PROV. XXXVII, 2.

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. ECCLES. XLIV, 1.

Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia. *Ibid.* 15.

Ante mortem ne laudes quemquam; quoniam in filiis (id est, operibus bonis, ut Rabanus explicat) cognoscitur vir. *Ibid.* c. XI, 30.

Ante sermonem non laudes virum; hæc enim tentatio est hominum. *Ib.* c. XXVII, 8. Quomodo probatur in conllatorio argentum, et in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis. PROV. XXVII, 21.

Tunc laus erit unicuique a Deo. I COR. IV, 5.

Laudabuntur omnes recti corde. PS. LXXXIII, 11.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. II COR. X, 18.

Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescat. PROV. X, 7.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Laus humana non appellat a sapiente, sed subsequi debet sapientem, et recte facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. S. AUG. de *Serm. Dom. in monte.*

Securitas laudis in laude Dei est, ubi laudator securus est; ubi non timet, ne de laudato erubescat. *Idem, in Ps.*

Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Idem, in Joan.*

Non hujus laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia etsi cuique facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. *Idem, ad Diosc.* Esse humilem, est nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. *Idem, in Psal. v.*

Quis dives possit hic sine trepidatione laudari, qui et de præterito meminisse habere, quod doleat; et de futuro videt sibi superesse, quod timeat. S. AMBR. in *Natal. S. Euseb.*

Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod contemnunt, et mirum in modum laus, dum vitatur, appellitur. S. HIER. in *Epist.*

Sæpe bono operi, dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ, quamvis quæsitâ non fuerit, tamen oblata delectat. S. GREG. in *Moral.*

Laus sua justos cruciat, iniquos exultat;

sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. *Ibidem.*

Gloriosis gratiora sunt præconia, quam tributa; quia stipendium et Tyranno impenditur, laudis autem prædicatio non nisi bono Principi debetur. CASSIOD. l. 2. *epist.*

Oidium, quo apes fumum prosequuntur, significat, eos, qui Deo lætificant, re nulla æque offendi, quam humanarum laudum fumo. S. HIER. ad *Gal.*

Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum non requiras; quia quamvis alicui sit facile laudem non curare, dum negatur; est tamen difficile non delectari, cum offertur. S. GREG. XXII *Moral.*

Valde perfectorum est, sic ostento opere gloriam quærere auctoris, ut illata laude nesciat privata exultatione gaudere. S. BERN. in *serm.*

Non recti plane sed perversi animi est laudem quærere, et non exereere virtutem, et velle coronari, qui non legitime certaverit. S. CHRYS.

Laudes humanæ simul apparent et evanescent. S. AUG. tr. VI. *super Ep. B. Joan.* Laus a conscientia non a vulgo æstimanda est. *Ibidem.*

Laus est in bonitate cause non in poenæ acerbitate. *Idem, super Ps. XXXVIII.*

UTILITAS. — Præcipuum beneficium est, in rebus honestis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ finis est omnium, quæ desiderantur, et quo omnis viri boni motus refertur. S. GREG. NAZIANZ. in *serm.*

Justum est, ut bene gorentibus laudis tribuatur assensus. Nam si eorum cursus clamoribus incitatur hominum, et insonantium manibus agitur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter incendimus? CASSIOD. l. I, *Epist.*

Injustus audita laude sua polluitur, justus purgatur; pavet enim, si talis Deo non ostenderit, qualis ab hominibus putatur. S. GREG. XXII *Mor. c. IX.*

DANUM. — Cum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largientem pugnant; inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuissent. S. GREG. l. I *Mor.*

Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati ligni fructus ante tempus comedit. *Ibid.*

Cum pro recto opere laus transitoria quæ-



Imo S. Chrysostomus ait: Quemadmodum suas virtutes recitare, extrema videtur dementia, si nulla superest necessitas; ita necessitate violenter incumbente, propellenteque, proditio est, ea facere, quæ quis studiose perfecit. (S. Cyprius, in illud S. Pauli: *Utinam sustineretis*.) Porro causas, cur aliquis hoc facere possit, S. Thomas sequentibus verbis indicat: Ut aliquis ab aliis cognoscatur, potest appeti, quantum est utile ad aliquid; vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur; vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ad hoc, quod ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, et ad meliora proficere; et secundum hoc laudabile est, quod aliquis curam habeat de bono nomine, et quod provideat bona coram Deo et hominibus, non tamquam in hominum laude inaniter delectetur. (S. Thom. II, II, q. cxxxii, art. 1.) Hinc S. Augustinus explicans illud Christi: Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis, ait: Numquid voluit hoc dicere, ut, quæcumque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, et timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, sed non ad hoc debes facere, ut videaris. Noli ad laudem tuam operari bonum, quod agis, sed ad laudem illius, a quo habes, ut bonum agas. S. Aug. tr. VIII, in ep. I. Joan.

## MISCELLANEA.

FUGA. — Prudenter suavit Persius:

Respice, quod non es, tollat sua munera, Cerdo.  
Tuum habita, et noris, quam sit tibi curta suppellex.

Persius IV.

Et iterum:

Usque adeone  
Scire tuum nihil est, nisi tescire hoc solet alter?  
At pulchrum est digito monstrari, et dici: Hic  
fest.

Idem. I.

Quid stultius est, inquit Seneca, quam in homine aliena laudare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet. SENECA, ep. xxxxi.

Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem. Neminem cito laudaveris; neminem cito accusaveris. Vitium est, omnia

credere, vitium est, nihil credere. Idem, I. de Mor.

Themistocles theatrum petens, interrogatus, cujus vocem libentius audiret? respondit, ejus, a quo sua virtus prædicaretur. ERASMUS I. III, c. xxxvi.

Antagenes dicebat, ita vivendum esse hominibus, ut vivit laudabiles sint, mortui autem beati judicentur. ANTAG. in *Melissa*, p. I, s. II.

Idem, cum audisset, quantum ab hominibus laudaretur, dixit: Cum multi me laudant, tum me nullius pretii esse judico; cum pauci, bonum et egregium virum me esse puto. Idem.

Agesilaus dicebat, sibi jucundum esse laudari ab his, qui et vituperare non vererentur, si quid displicuisset. Tales enim, si quid laudant, judicio laudant, non metu, aut adulatione. Idem dicebat, non minus laudatoris inspiciebat esse mores, quam ejus, qui laudatur, significans, raro contingere, ut quis alia laudet, quam quæ moribus suis conformia sunt. PLUR. in *Lacon*.

Antisthenes audiens ab improbis quibusdam se laudatum: Vereor, inquit, ne imprudens mali quid fecerim, sentiens a talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta. LAERT. I. VI, c. I.

## AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. VIII, c. X.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus*, fol. 584.

Thomas Stapletonus, text. I, in *Dom. XII*, post *Pent.*

Jeremias Drexelius, in *Amussi*, l. II, c. IV et V.

Josephus Langius, in *Polyantha* V, eodem.

## LECTIO SPIRITUALIS.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Describitur Lectio Spiritualis ab Alvarez hoc modo: « Lectio Spiritualis est cum S. Scripturarum paginas, aut Sanctorum Doctorum libros evolvimus, non solum ut sciamus, sed ut Spiritu proficiamus, et Dei voluntatem intelligentes, eam opere exequamur. » (JAC. ALVAREZ tom. I, l. II, p. IV, c. xxxi.) Et iterum alibi: « Spiritualem, inquit, Lectionem vocamus, quæ mysticos libros, et spirituales tractatus evolvimus, in quibus non solum rerum spiritualium notitiam, sed multo magis earum gustum et affectum quaerimus. » (Idem tom. II, l. III, p. V, sec. 2, c. II.) Porro quid sit sapor et gustus spiritualis, Julius Nigroneus in tractatu de Lectione Spiritualis sic explicat: Sapor iste non est aliud, quam qualitas seu perfectio supernaturalis, quæ in rebus spiritualibus delitescit, et a spirituali palato percipitur. (Nigroneus tr. V. *Aetic*, c. III, n. 8.) Quam Guilielmus Parisiensis duplicem assignat. Alteram in intellectu sublimato, quam divinæ bonitatis sapor ac suavitatis perfundit; quemadmodum pulchritudo spectata delectat oculum, quoniam omnem operationem ejusvis potentia in objecto congruente occupate delectatio comitatur tanquam perfectio. Alteram declarationem ponit in voluntate et appellat delectationem affectionis et amoris. Etenim ex eo, quod oculus pulchritudinem aspexit, oritur in affectu amor ejusdem, et sapor seu gustus delectationis in illa. Pari modo in Lectione Sacra ex eo, quod intellectus percipit res, sensa, sententias, promissiones divinas, et alias suavitates, quas saporibus dicimus, voluntas ad amorem excitatur, ipseque amor delectat, quoniam jucundum est amare, ut S. Augustinus et Aristoteles testantur, cum quotidiana experientia. At hæc delectatio gustus spiritualis dicitur, sapor, et amoris affectus, ad quem S. David invitavit, dum dixit: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. »

Divisio. — Dividitur hæc Lectio a Nigroneo et aliis in præceptivam, exemplarem, et affectivam. Tomus II.

Præceptivam vocant, quæ doctrinæ et dicta Sanctorum ad disciplinam nostram pertinentia evolvuntur. Exemplaris est, quæ gesta et exempla Sanctorum perleguntur. Affectiva est, quæ voluntas tum ad præcepta, persuadetur, tum ad exempla, quæ lecta sunt, observanda et imitanda. Ibid. l. c. III, n. 7.

Idem Nigroneus alio adhuc modo. Lectionem in ordinariam et extraordinariam dividit; et ordinariam quidem vocat, cui quotidie certum tempus impenditur; extraordinariam vero appellat, quæ præter ordinariam in certis occasionibus et temporibus instituitur, et diutius continuatur, uti fit, cum secessus octiduanus aut semestris collectio suscipitur, cum gravis aliqua tentatio simile remedium exigit, et cum Festis diebus ob vacationem a laboribus plus otii ad lectionem conceditur, quæ Lectio, ait Nigroneus, fructuosior videtur, tum quia attentius et accuratius libri leguntur sine sollicitudine aliarum occupationum; tum quia Deus per more suo, per Climacum observato, plus gratia sua illis diebus, quos sibi cultuque suo dedicavit, affecturus et laborem hunc spirituales benedicturus videatur.

## EX S. SCRIPTURA.

LECTIONIS USUS. — Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est per occasionem legendi a Deo oblatam I. Tim. c. IV, 13.

Verbum Christi habet in vobis abundanter. COLLOSS. c. III, 16.

Ipsi (scilicet auctores et libri) docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. JOB. c. VIII, 10.

Intravit in Synagogam, et surrexit legere, et traditus est illi liber, et revolvit librum. LUC. c. IV, 26.

NECESSITAS. — Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te terram desertam. Quæ verba Turrecremata ad animam devotam et Lectionem Spiritualem applicat. JER. c. VI, 8.

UTILITAS. — Interpretabatur (Christus) illis in omnibus Scripturis, et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. LUC. c. XXV, 28.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. PS. XI, 101.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. IB. 130.

Habemus firmiorem propheticum sermo-